



1769, 7
246
19

PUBLICI DOCENDI MVNERIS,
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATI,
SOLLEMNI ORATIONE

DE
FELICITATE DOCTORIS
ACADEMICI

AVSPICANDI CERIMONIAM

D. IVL. PERAGENDAM
INDICIT,

ET
QVAM CAVTE ADHIBENDAE SINT DOCTRINAE
IVRIS IN SANCTIORIBVS PLACITIS ILLVSTRANDIS
AC DEFENDENDIS,
ILLVSTRIBVS EXEMPLIS OSTENDIT
IO. AVG. HENR. VLRICH,
PHIL. PROFESSOR.

IENAE
LITTERIS SCHILLIANIS.
MDCCLXIX.

PUBLICI DOCENDI MUNUS
CEMENTISSIME SIBI ORNATA
SOLLENNI ORATIONE

FELICITATE DOCTORIS

ACADEMICI

AUSTRIACANI CERIMONIAM

IN

INDICIT

OMNI CAUTE ADHIBENDA SINT DOCTRINA
UT IN SACRORUM LITTERARUM
SOLIDITATE

INVESTIGARE EXAMINIS OSTENDIT

IO. AV. G. H. N. V. R. I. C. H.

PH. P. P. P.

LEVAE

LITTERIS SCHULAE

M. G. G. G.



Nunquam satis inculcari posse, puto, iuventuti, litterarum cupidae, ut, quo quisque magis fauricem nactus est et naturam et fortunam, quo magis fauent temporis et domesticae aliae rationes, hoc magis illi curae cordique sit ultra id, quo fere contenti esse solent, sapere in suae scientiae ambitu. Sic non satis habeat, THEOLOGI, tanti nominis, mensuram aliquando impleturus, non satis habeat, quae propius spectant ad sanctissimorum placitorum et institutorum intelligentiam, bene imbibisse, largum philologiae, et ex amplissimo scientiarum, quae ad humanitatem pertinent, penu petum, philosophiae item, et eius, quae in considerando, et quae in praecipiendo versatur, apparatus. Ex remotioribus quoque scientiarum regionibus et ornamenta, et praefidia adeo suae disciplinae, cui nomen dedit, quaerere licet.

Vere sentimus et experimur, quo pedem ulterius in spatioso scientiarum campo proferimus, inprimis quando interdum extra illos, quos nobis praecipue descripsimus, scientiarum circulos peregrinamur, sciendi cupidi, commune, quibus omnes disciplinae continentur, vinculum,

A 2

et

et quendam quasi circulum, quo singulae singulis mutua inferuunt opera mirifice. Obuia loquor et exposita rerum intelligentioribus, vt disputatione non opus sit ad commendandam doctrinae vbertatem. At proficitur alicubi Tubingensium Musarum lumen, BILFINGERVS, *modicum esse, quod sciat, sed quae sciat, solide ac stabili ratione se percepisse.* Modeste profecto satis dictum a tanto philosopho pariter ac Theologo, quo autem male in rem suam abutitur defidiosa quorundam arrogancia, qui sub soliditate veniam poscunt angustae suae, sterilis et ieiunae eruditionis. Verum Bilfingerianum illud tanto minus eo interpretari possum, vt omnem cognitionis vastitatem a soliditate distinxisset, quo magis suo sibi ipsi exemplo obferat illustri. Mihi quidem magnorum virorum exempla intuenti identidem confirmatur ille error, *non posse esse vel in vlla ratione solidam et ad vsum vitae accommodatam sine quadam copia et vastitate cognitionem.* Vereor, ne improbe dictum videatur plus iusto mansuetis iuuentutis doctores IACOBIANIS. At iudices sedeant, qui ipsi stabilem solidae doctrinae famam consecuti sunt, ERNESTI, MICHAELIS, SEMLERVS, WALCHII, Theologi, aliaque magna nomina, testes stabunt plurimi, viui pariter ac mortui, ex quibus vtro cuilibet in mentem veniet GROTHII, LEIBNITII, MOSHEMII, BAUMGARTENII, qui sine vastitate et amplitudine cognitionis nunquam tantam in singulis soliditatem assecuti essent. Quae exemplis superstruximus, facili quoque negotio a priori, vt aiunt, ex ipsa rei natura ac indole demonstrata dare poteramus, nisi potius sententiam nostram profiteri, quam docere alios vellemus. Expeditum igitur esto cuilibet, erectioris et ingenuae indolis, minime *πολυπραγμοσύνην* esse, cuiquam vitio dandam, si quis in remotiores a suis scientiarum Zonas interdum diuertitur, et ex iis quoque delibat, quae sibi vltui fore, intelligit.

Riserint

Riserint forsan nonnulli Iurisprudentiae aliquod studium Theologo commendantem, quippe qui non propius ac a nostris terris Americam distitam esse a Theologia Iuris scientiam, sibi persuadeant, aut Christo cum Beliale nihil esse negotii, duriter pronuntient. Sed vii posterius plane incommodum & inhumanum non fecero meum, ita posterius esto. Atenim si ex Peruuiana terra in nostras vilitates tam multa conuertuntur, radices, aromata, alia pretiosa, quomodo haec comparatio nobis obesse potest. Immo quemadmodum sapienter ita prouisum a Deo est, vt non omnia omnis tellus ferat, sed communi indigentia prospiciatur generis humani vinculo, et remotissima tamen inter se cohaereant, ita quoque communi indigentia copulari puto orbem litteratum, idque eo inter alia valere arbitror, vt singulae singularum a contemptu et tyrannide quadam vindicentur scientiae. (a)

Praeterea qui ita de Iuris in sanctiori disciplina utilitate statuunt, ii erunt fere, qui in actis huius literariis admodum hospites existunt. Quomodo enim alia ratione ignorare possent, quam feliciter versari sint Theologi in plurimis Iuris vniuersi locis suos in vsus conuertendis.

Quod si iurisprudentiae naturalis in Theologia opportunitatem per singula eundo demonstrare animus esset, fertili in loco constituta esset oratio. Neque vero tamen omnia, neque nulla exempla exhibebimus. Quis igitur, se Theologum carere posse, putat iis, quae praecipuntur de magnitudine moralitatis actionum, et illustri de imputatione loco? Quis dominium Dei in omnes creaturas potestatemque legislatariam solide explicuerit sine iis, quae

A 3

in-

(a) De principatu litterarum quid omnino statuendum sit, acute et ineunde nuper differuit Cel. TITTELIVS, Prof. Carolr. et Ser. March. Bado-Durl. Senatus Sanctioris Assessor.

in Iure naturae traduntur de variis modis acquirendi iura rerum et personarum originariis? (b) Iustos nos pronuntiarum a Deo iudice ob fidem, nemini mirum videbitur, qui ea, quae de natura ac indole fidei tradit S. S. cum iis contendit, quae recta ratio dicitur de consensu et acceptatione promissi, eiusque iuribus et effectis. Consensum praesumptum quam non sine fructu adhibuit SCHVBERTVS aliique in asserenda iustitia diuina, lapsum Adami posteris imputantis, CARPOVIVS in loco de baptismo infantum, quorum ius ad sacri lauacri beneficium ex fide interpretanda seu praesumpta, quae ducitur a consensu praesumpto, deriuat satis acute, ita vt Virum in hac re iniuste taxatum a multis, tum demum intellexerim, cum placita eius cum principiis Iuris naturae curatius conferrem. Praetermitto, quae ex *Iure sociali* in obscuris conscientiae casibus diiudicandis, ex *Iure publico Vniuersali* in ciuitate Dei interius aliquantum noscenda, ex *Iure Ecclesiastico*, immo et *feudali Vniuersali* sua facere posset Theologus.

Haec de Iure, quod ex rebus ipsis nascitur, et quod naturale vocant, sed de *iure constituto* nunc dispiciendum ulterius. At profecto, qui huius aliquem, neque eum mediocrem, in Theologia usum negauerit, aut nunquam legit GROTIJ Defensionem fidei Catholicae de satisfactione aduersus Faustum Socinum Senensem, (c) aut Viri,

(b) Cum eximia voluptate legi IO. ERNESTI GVNNERI Tractat. de *fundamento potestatis diuinae legislatoriae genuino*. Hafniae 1766. Cum enim paulo antea, quam ad me perueniret ista scriptio eruditissima, in recitationibus meis Ethicis ab iisdem initiis ortus essem explicare potestatem diuinam legislatoriam, non possum dissimulare, egregie me delectatum esse, cum Vir ingeniosissimus sua sententia album meo errori calculum adiecisset.

(c) Vfus sum editione, quae Lugduni Bat. prodijt 1617, curante GER. IOANN. VOSSIO, ex cuius praefatione de instituto Grotij haec transcribo:


Viri, cuius fatis celebria sunt in vniuersam rem Christianam merita, Theologi consummatissimi, ERNESTI AVGBERTLING Commentationem de apprehensione fidei, (d) aut

scribo: „ Cum duo Christum nobis peperisse dixerimus, impunitatem et praemium, illud satisfactioni, hoc merito Christi distincte tribuit vetus ecclesia. Satisfactio consistit in peccatorum translatione, meritum in perfectissimae obedientiae, pro nobis praestitae, imputatione. Vtrumque horum vehementi cum studio impugnauit Socinus. Sed in priori fundamenta causae suae in quibusdam iuris quasi principiis collocauit. Vidit hoc Cl. Hugo Grotius, et pro suo erga ecclesiam Dei amore, non acquiescendum sibi putauit, quin, relicta aliis meriti quaestione, ipse eam, quae de satisfactione est, tractandam susceperat. Nimirum certissimum ei erat, quam Socinus impugnat, sententiam, clarissimis scripturarum verbis contineri, neque minus certum, dei dona, verum scilicet. Iuris naturalis lumen et augustius lumen fidei minime in se pugnare. Itaque rem factum se existimauit, Christiano Icto non indignam, si ea, quae a iure peruntur, arma, Catholicae fidei aduersario extorqueret, quod facili negotio fieri posse, deprehendit. „

De ipsius libri pretio nullum illustrius asserere possum testimonium, quam STOINSKY, Sociniani, in praef. Tr. 10. CRELLII de Causis mortis Christi et Ruari Cent. I. p. 59. discrete fatentium, Pbosianus nunquam acutius et doctius esse confutatos. Et quamquam extat 10. CRELLII responsio, Racouiae typis Sternacianis 1623. excusa, tamen, si vtrumque librum conferamus, apparebit, minime de gradu depulsam esse Grotium, immo si robar argumentorum Grotii sensit aduersarius, mitiori sententiae explicatione sibi saepe consulit. Optandum erat, vt aliquis Grotii librum denuo typis exhibendum curaret, ita vt emendatis, quae in Grotio iure taxari possunt, CRELLII exceptiones adiectis notis neruose expositae diluerentur.

Vnum adhuc est, quod moneo. Qui ipsum Grotii librum inspexerunt, iis videri poterat minus recte excitari, pro utilitate Iuris positui in Theologia, quippe qui fere ex principiis Iuris Naturae respondeat. Verum vt concedam, Grotium inprimis quoque ea contra Socinum vrgere, quae ius praecipit, quod ex rebus ipsis oritur, vt ipse loqui amat, saepissime tamen contra Socinum vrgit ius constitutum sine posituum. v. g. p. 71. p. 94. p. 96. vbi salte carpit et perstringit Socinum, voce acceptilationis vtentem, quippe quae per vsum loquendi ICTorum ad Ius crediti, non ad poenas transferri possit et alibi.

(d) Summa huius programmatris, quo inuitabat S. R. Auctor ad sollempnem



aut STRYCKII *Iurisprudentiam Pauli*, aut HUBERI *dissertationem* et WESTENBERGII, ICIſi *Franequ. orationem de Paulo Tarſenſi, Iureconſulto.*

Et ſi quid de iis, quae ipſe uſu edoctus ſum, commemorare fas eſt, (vereor enim, ne cum rem ipſam aliquis deſtruere non poſſit, eius tamen quaſi iactationem inceſſat,) nunquam me poenitebit ſtudii ac temporis, quod Juſtiniani inſtitutionibus quondam dedi, et ſermonibus, cum Iuris peritoribus de variis doctrinis collatis, quorum utilitatem quotidie experior ſive philoſophus, certe in Iure Naturae, ſive Theologus. Quapropter quauis data occaſione iis, qui ſanctiorum literarum ſtudio ſe aſſeruerunt, commendo ſcholas, quibus explicantur Inſtitutiones imperatoris, aut STRYCKII Iurisprud. Romano-Germanica forenſis, ſi ſub finem ſtadii academici una alteraue hora vacauerit. Qui labor neque difficilis eſſe poteſt, Iuris Naturae principiis et antiquae Romae notitia quadam inſtructo, neque moleſtus, quia non omnibus peraeque eadem imperienda eſt opera ac diligentia, ſed iis tantum, quae aliquod ad Theologiam momentum habere videri poterant.

Satis nunc de uſu. Pauca deinceps de abuſu dicenda ſunt, et quas habeat haec res cautiones, ſpecimine quodam oſtendendum. Minime enim nobis propoſitum eſt omnem iſtum campum emetiri, ſed potius uno alteroue exemplo oſtendere, quomodo errorum notatio ac deuiorum, in quae alii prolapsi ſunt, parere poſſit artis praeceptionem, uſum

Iuris
nem actum introductionis. Cel. GRALATHI, Inſpectoris Gymnaſii SEDANENSIS, huc redit: 1) Theol. A. C. formam fidei in apprehenſione meriti Chriſti, et quidem apprehenſione forenti ponere, 2) naturam huius apprehenſionis omnium optime explicari et probari in doctrina Iureconſultorum 3) ex hac explicacione Iuridica egregie illuſtrari et explicari totam doctrinam de fide, tum naturam fidei, quam iura fidei et Chriſtiani credentis.

Juris in diuinioribus scientiis dirigentem, si quis in hoc genere elaborare vellet.

Ea scilicet mortalium fors est, vt si qua ex re semel iterumque vilitatem quandam perceptam obseruarunt, idem vbiuis experiri tentent, capiatne res ipsa eandem tractationem, parum solliciti, circumforaneorum more. Cogitauerint lectores abusum *methodi mathematicae*, vbi multum mali in exemplo est, inde a WOLFIO, ita vt quamplurima orbis litteratus monstra viderit, geometrica methoda deformata, Institutiones Iuris, Grammaticas, immo Consilia Theologica (*Theol. Bedenken*) ad leges Geometrarum exacta. Sic etiam cum intellectum esset, *Grotium* felici successu augusti dogmatis de satisfactione praesidia petiisse a iuris scientia, exiterunt, qui iustitiam sententiae diuiniae, lapsum Adami posteris ipsius imputantis, illustrare ac defendere conarentur ex doctrina de Feudis. *Quemadmodum filius*, ita disputant, *ob Feloniam patris feudi beneficio quoque caret, licet criminis paterni nullo modo particeps, ita quoque nos protoplastorum progenies, caremus sapientia et iustitia concreata, ac feloniae, a parentibus commissae, poenas satis lugubres et graues sentimus.* Eheu, quam bene!

Duplici autem nomine mihi non probatur illustratio illa, ex *iure feudali* petita. Primo quidem dum iniustitiae maculam remouere student a sententia Dei, consecraria prolapsionis illius infaustae posteris Adami decernentis, tributis, non vident incauti, sua Illustratione illorum stabiliri sententiam, qui naturalem, si quam concedunt, virium deprauationem pro casu aduerso et infortunio reputandam esse, dictitant (e). Quando enim filius, paterni crimi-

(e) In difficillima et vexatissima quaestione hac, in qua summorum Theologia consumpta sunt, vtrique maxime placeret rationi ista sententia: *In ipsa illa naturali et congenita deprauatione virium nullam nostram versari cul-*

criminis plane expers, feudo priuatur quoque, damno in consequentiam veniente, illa est fortuna aduersa, minime vero effectus imputationis facti paterni.

Deinde quis ferat, actus diuinos hoc modo exigi ad *Ius Feudale Longobardicum*? Minime enim putandum est, naturalem quandam rationem ac necessariam id praecipere, vt Feloniae paternae poenam sentiat filius innocens, cui iam iam ex prima feudi Constitutione ius quaesitum esse potest. Sed ita potius statuit *Ius Feudale*, ex rerum natura ductum, vt si quod descendentiibus ius quaesitum sit ex prima feudi constitutione, adeoque ius illud non patri debeant, sed primae constitutioni, factum patris minime noceat per se et obfit Filio, neque adeo ab *amissione feudi personali ad realem hic valeat consequentia*. Ex quo exemplo hae enascuntur cautiones.

I) Si qua ex praecceptis et institutis iuris transferre volumus ad asserendas ac defendendas doctrinas diuinores, studiose videndum, ne Charybdin effugientes incidamus in Scyllam, et prostratis euitatisque aduersariorum ex altera parte petitionibus, altera ex parte latus tanto magis aperiamus.

II) Al-

culpam, sed esse infortunium quoddam, quod non poterat non permittere Deus sapientissimus, quippe qui modum propagandi genus humanum sapientiae legi comuenientissimum sive optimum iudicaret generationem carnalem. Non poterant autem alii ex corrupta parentum natura nasci, nisi vitiosa progenies. Cum vero Deus benignissimus remedia quoque constituerit, quorum usu sensum pedentemque corrigi potest illa lues, illud nobis tantum vitio datur, si illius corrigendae media negleximus, aut repudiavimus. Haec, inquam, mihi maxime arriderent, nisi S. S. discrete statueret, nos in Adamo omnes peccasse. Quodsi igitur vere nobis imputatur Adami lapsus, si naturalis ista lues est peccatum vere ac proprie s. d. si est causa sufficiens et adaequata damnationis aeternae, (Conf. *MUSAEBI ausföhrl. Erklärung* p. 307. qu. 38.) non potest esse merus casus et fortuna, quippe cuius nulla potest esse ex praecceptione iuris imputatio, aut poena. Cui consequens est, vt aliqua nostra in ea re culpa versetur, cuius rationem ostendere allaborauerunt SCHUBERTVS, REYSCHIVS in introd. in Theol. Reu. p. 561. sqq. et alii.

II) Alterum est, ut qui actus Dei forenses ex aequo et iusto aestimare, Deumque bene iudicare, vult perspicuum facere, ante omnia dispiciat, quid ius, ex rebus ipsis ortum, praecipiat, neque continuo ad ius constitutum confugiat. Cum enim leges naturales sint quoque divinae, utique existimandum est, Dei sententiam in causa quadam hominum ad illas potius referendam esse, quam ad ius arbitrio hominum constitutum. Igitur rationes naturales in illustrandis Theologiae placitis praeservandae sunt arbitrariis hominum institutis. (f.)

III) Positum, quod vocant, iure quando aliud institutum est, ac iure naturali, tum demum illo uti licet, 1) cum ipsa illius ratio, omni iniquitate vacans, ostensa fuerit, 2) si eadem rationes ac tempora, quae incidunt saepius in foro humano, et hoc vel illud sciendi necessitatem imponunt, aut prudentiam exigunt, in ipso quoque divino foro obtineant, 3) si eadem personarum conditio sit, quae in foro divino stant, aut sedent, ac eorum, quae in foro soli obversantur, 4) si καὶ ἀνθρώπων cum aduersario disputandum sit. (g)

IV) Ut vnicum addam, CLIFFORDVS ille personatus, qui in seipsum Versuch im philosoph. Denken &c. verba institutionis S. C. illustrare voluit ex doctrina iure peritorum de traditione symbolica, suo nobis errore hanc commendat praeceptionem, Ante-

(f) Praeclare illud ipsum iam vidit Grocius l. c. qui Socinum identidem castigat, quod ea, quae iuris naturalis sunt, non satis discernat ab iis, quae a libera hominum constitutione nascuntur, ideoque aduersarium suum a cancellis Ictorum ad philosophiam Iuris naturalis saepe renocat. v. g. p. 43. 45. 48 p. 83. et aliis locis pluribus.

(g) Quam ego vellem, ut singula longiori tractu peruidere et exemplis illustrare liceret, nisi scripti et temporis limites id negarent. Contingere tamen me non possum, quin vnum alterumue addam. Negat Socinus, iuste fieri posse, ut capitali supplicio offerre aliquis se possit, pro alterius immunitate. De foro humano verum dicit. Nemo enim merus homo iure gaudet de sua vita pro arbitrio disponendi. E. neque valide se offerre potest supplicio, pro alio sustinendo. Alia autem longae est conditio personae Christi, qui cum homine Deus utique in suam

Antequam ad illustrandum Theologorum dogma quoddam accedamus, certam illius ex legitima testimonii diuini interpretatione formam propositam habeamus, ne illustrationi nostrae bene cupientes, formam et speciem doctrinae inducamus pro arbitrio et fingamus, sensumque adeo inferamus, qui erat eruendus.

Sic igitur, quod propositum erat, summatim attigimus et primoribus istum de abusu Iuris in Theologia locum, minime vulgarem, vt opinor, sed cum vtili dulce exhibentem, quem aut digito tantum monstrasse, aliis excolendum, satis habemus, aut alio tempore ipsi latius persequemur.

Vt vero ad illud veniamus, cuius caussa haec praemisimus, SEREN. SAXONIAE DVCES, SALANAE NVTRITORES CLEMENTISSIMI, prouida illius cura monumentum aere perennius sibi exigentes, ante aliquod tempus mihi, docendi munere per quatuor annos functo, *Professoris publici extraordinarii* locum cum annuo reditu munificentissime demandarunt. Cuius insignis beneficii sollempni commemorationi sacrum esse volui d.

Cui ceremoniae vt sua praesentia splendorem conciliare dignentur *Magnificus Academiae Rector, et cui iamiam fasces decreti sunt, Vir Magnificus, Illustrissimi S. R. I. Comites, patres conscripti grauisissimi, reliqui doctores praestantissimi, iuuenes nobilitate generis ac virtutum conspicui, et omnes, qui litteris bene cupiunt, omniae* quae quemuis decet, obseruantia iterum iterumque rogo. Dabam Ienae d. xiv. Iul. seu vt Romanae fastorum consuetudini inferuam, Prid. Idus Iulias MDCCLXIX.

suam vitam potestatem summam habebat. loh. X, 18. E. quoque valide se offerre poterat atrocissimo supplicio, pro hominibus perferendo. Quam in rem legi meretur omne C. IV. *Grotii* l. c. p. m. 62 78. Sic etiam sumserat Socinus, omnium gentium legibus et consuetudinibus probatum, non posse corporalem poenam, quam vnus debeat, ab altero persolui. Opponit autem Grotius p 71. lqq. facta et instituta *Persarum, Macedonum, Thessalorum, Romanorum, Tarentinorum, Gotborum Dacorum, Anglorum.* καὶ ἀποδεικνύεται disputat. Non sunt quidem haec probanda, ait, sed euincunt tamen, illud de omnium Gentium, consensu non esse vsque quaque verum.

ULB Halle
004 526 880




3

Sb

K078







1769, 7
246
19

PUBLICI DOCENDI MVNERIS,
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATI,
SOLLEMNI ORATIONE

DE
FELICITATE DOCTORIS
ACADEMICI
AVSPICANDI CERIMONIAM
D. IVL. PERAGENDAM
INDICIT,

ET
QVAM CAVTE ADHIBENDAE SINT DOCTRINAE
IVRIS IN SANCTIORIBVS PLACITIS ILLVSTRANDIS
AC DEFENDENDIS,
ILLVSTRIBVS EXEMPLIS OSTENDIT
IO. AVG. HENR. VLRICH,
PHIL. PROFESSOR.

IENAE
LITTERIS SCHILLIANIS.
MDCCLXIX.